

## AP Latin Aeneid Book 4

- 160 Interea magno misceri murmure caelum  
161 incipit; insequitur commixta grandine nimbus;  
162 et Tyrii comites passim et Troiana iuventus  
163 Dardaniusque nepos Veneris diversa per agros  
164 tecta metu petiere; ruunt de montibus amnes.  
165 Speluncam Dido dux et Troianus eandem  
166 deveniunt: prima et Tellus et pronuba Iuno  
167 dant signum; fulsere ignes et conscius aether  
168 conubiis, summoque ulularunt vertice nymphae.  
169 Ille dies primus leti primusque malorum  
170 causa fuit; neque enim specie famave movetur,  
171 nec iam furtivum Dido meditatur amorem:  
172 coniugium vocat; hoc praetexit nomine culpam.  
  
173 Extemplo Libyae magnas it Fama per urbes -  
174 Fama, malum qua non aliud velocius ullum;  
175 mobilitate viget, viresque adquirit eundo,  
176 parva metu primo, mox sese attollit in auras,  
177 ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.  
178 Illam Terra parens, ira irritata deorum,  
179 extremam (ut perhibent) Coeo Enceladoque sororem  
180 progenuit, pedibus celerem et perniciibus alis,  
181 monstrum horrendum, ingens, cui, quot sunt corpore plumae  
182 tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,  
183 tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures.

184 Nocte volat caeli medio terraeque per umbram,  
185 stridens, nec dulci declinat lumina somno;  
186 luce sedet custos aut summi culmine tecti,  
187 turribus aut altis, et magnas territat urbes;  
188 tam facti pravique tenax, quam nuntia veri.  
189 Haec tum multipli populos sermone replebat  
190 gaudens, et pariter facta atque infecta canebat:  
191 venisse Aenean, Troiano sanguine cretum,  
192 cui se pulchra viro dignetur iungere Dido;  
193 nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere  
194 regnorum immemores turpique cupidine captos.  
195 Haec passim dea foeda virum diffundit in ora.  
196 Protinus ad regem cursus detorquet Iarban,  
197 incenditque animum dictis atque aggerat iras.

198 Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha,  
199 templa Iovi centum latis immania regnis,  
200 centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem,  
201 excubias divom aeternas, pecudumque cruento  
202 pingue solum et variis florentia limina sertis.  
203 Isque amens animi et rumore accensus amaro  
204 dicitur ante aras media inter numina divom  
205 multa Iovem manibus supplex orasse supinis:  
206 'Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis  
207 gens epulata toris Lenaeum libat honorem,  
208 aspicis haec, an te, genitor, cum fulmina torques,

209 neququam horremus, caecique in nubibus ignes  
210 terrificant animos et inania murmura miscent?  
211 Femina, quae nostris errans in finibus urbem  
212 exiguum pretio posuit, cui litus arandum  
213 cuique loci leges dedimus, conubia nostra  
214 reppulit, ac dominum Aenean in regna recepit.  
215 Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,  
216 Maeonia mentum mitra crinemque madentem  
217 subnexus, rapto potitur: nos munera templis  
218 quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.'

259 Ut primum alatis tetigit magalia plantis,  
260 Aenean fundantem arces ac tecta novantem  
261 conspicit; atque illi stellatus iaspide fulva  
262 ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena  
263 demissa ex umeris, dives quae munera Dido  
264 fecerat, et tenui telas discreverat auro.  
265 Continuo invadit: 'Tu nunc Karthaginis altae  
266 fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem  
267 exstruis, heu regni rerumque oblite tuarum?  
268 Ipse deum tibi me claro demittit Olympo  
269 regnator, caelum ac terras qui numine torquet;  
270 ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras:  
271 quid struis, aut qua spe Libycis teris otia terris?

- 272 Si te nulla movet tantarum gloria rerum,  
273 [nec super ipse tua moliris laude laborem,]  
274 Ascanium surgentem et spes heredis Iuli  
275 respice, cui regnum Italiae Romanaque tellus  
276 debentur.' Tali Cyllenius ore locutus  
277 mortalis visus medio sermone reliquit,  
278 et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
- 279 At vero Aeneas aspectu obmutuit amens,  
280 arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.  
281 Ardet abire fuga dulcisque relinquere terras,  
282 attonitus tanto monitu imperioque deorum.  
283 Heu quid agat? Quo nunc reginam ambire furentem  
284 audeat adfatu? Quae prima exordia sumat?  
285 Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,  
286 in partisque rapit varias perque omnia versat.  
287 Haec alternanti potior sententia visa est:  
288 Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum,  
289 classem aptent taciti sociosque ad litora cogant,  
290 arma parent, et quae rebus sit causa novandis  
291 dissimulent; sese interea, quando optuma Dido  
292 nesciat et tantos rumpi non speret amores,  
293 temptaturum aditus, et quae mollissima fandi  
294 tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes  
295 imperio laeti parent ac iussa facessunt.

- 296 At regina dolos - quis fallere possit amantem?  
297 praesensit, motusque excepit prima futuros,  
298 omnia tuta timens. Eadem impia Fama furenti  
299 detulit armari classem cursumque parari.  
300 Saevit inops animi, totamque incensa per urbem  
301 bacchatur, qualis commotis excita sacris  
302 Thyias, ubi auditu stimulant trieterica Baccho  
303 orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron.  
304 Tandem his Aenean compellat vocibus ultro:  
305 'Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum  
306 posse nefas, tacitusque mea decidere terra?  
307 Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,  
308 nec moritura tenet crudeli funere Dido?  
309 Quin etiam hiberno moliris sidere classem,  
310 et mediis properas aquilonibus ire per altum,  
311 crudelis? Quid, si non arva aliena domosque  
312 ignotas peteres, sed Troia antiqua maneret,  
313 Troia per undosum peteretur classibus aequor  
314 Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te  
315 (quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui)  
316 per conubia nostra, per inceptos hymenaeos,  
317 si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam  
318 dulce meum, miserere domus labentis, et istam -  
319 oro, si quis adhuc precibus locus - exue mentem.  
320 Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni  
321 odere, infensi Tyrii; te propter eundem

322 extinctus pudor, et, qua sola sidera adibam,  
323 fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?  
324 Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.  
325 Quid moror? An mea Pygmalion dum moenia frater  
326 destruat, aut captam ducat Gaetulus Iarbas?  
327 Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset  
328 ante fugam suboles, si quis mihi parvulus aula  
329 luderet Aeneas, qui te tamen ore referret,  
330 non equidem omnino capta ac deserta viderer.'

331 Dixerat. Ille Iovis monitis immota tenebat  
332 lumina, et obnixus curam sub corde premebat.  
333 Tandem pauca refert: 'Ego te, quae plurima fando  
334 enumerare vales, numquam, regina, negabo  
335 promeritam; nec me meminisse pigebit Elissae,  
336 dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.  
337 Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto  
338 speravi - ne finge - fugam, nec coniugis umquam  
339 praetendi taedas, aut haec in foedera veni.  
340 Me si fata meis paterentur ducere vitam  
341 auspiciis et sponte mea componere curas,  
342 urbem Troianam primum dulcisque meorum  
343 reliquias colerem, Priami tecta alta manerent,  
344 et recidiva manu posuisse Pergama victis.  
345 Sed nunc Italianam magnam Gryneus Apollo,  
346 Italianam Lyciae iussere capessere sortes:

347 hic amor, haec patria est. Si te Karthaginis arces,  
348 Phoenissam, Libycaeque aspectus detinet urbis,  
349 quae tandem, Ausonia Teucros considere terra,  
350 invidia est? Et nos fas extera quaerere regna.  
351 Me patris Anchisae, quotiens uementibus umbris  
352 nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,  
353 admonet in somnis et turbida terret imago;  
354 me puer Ascanius capitisque iniuria cari,  
355 quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis.  
356 Nunc etiam interpres divom, Iove missus ab ipso -  
357 testor utrumque caput - celeris mandata per auras  
358 detulit; ipse deum manifesto in lumine vidi  
359 intrantem muros, vocemque his auribus hausit.  
360 Desine meque tuis incendere teque querelis:  
361 Italianam non sponte sequor.'

659 Dixit, et, os impressa toro, 'Moriemur inultae,  
660 sed moriamur' ait. 'Sic, sic iuvat ire sub umbras:  
661 Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto  
662 Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis.'  
663 Dixerat; atque illam media inter talia ferro  
664 conlapsam aspiciunt comites, ensemque cruento  
665 spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta  
666 atria; concussam bacchatur Fama per urbem.

667 Lamentis gemituque et femineo ululatu  
668 tecta fremunt; resonat magnis plangoribus aether,  
669 non aliter, quam si immissis ruat hostibus omnis  
670 Karthago aut antiqua Tyros, flammaeque furentes  
671 culmina perque hominum volvantur perque deorum.  
672 Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu  
673 unguibus ora soror foedans et pectora pugnis  
674 per medios ruit, ac morientem nomine clamat:  
675 'Hoc illud, germana, fuit? Me fraude petebas?  
676 Hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?  
677 Quid primum deserta querar? Comitemne sororem  
678 sprevisti moriens? Eadem me ad fata vocasses:  
679 idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.  
680 His etiam struxi manibus, patriosque vocavi  
681 voce deos, sic te ut posita crudelis abessem?  
682 Exstincti te meque, soror, populumque patresque  
683 Sidonios urbemque tuam. Date volnera lymphis  
684 abluam, et, extremus si quis super halitus errat,  
685 ore legam.' Sic fata, gradus evaserat altos,  
686 semianimemque sinu germanam amplexa fovebat  
687 cum gemitu, atque atros siccabat veste cruoress.  
688 Illa, graves oculos conata attollere, rursus  
689 deficit; infixum stridit sub pectore vulnus.  
690 Ter sese attollens cubitoque adnixa levavit;  
691 ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto  
692 quaesivit caelo lucem, ingemuitque reperta.

693 Tum Iuno omnipotens, longum miserata dolorem  
694 difficilisque obitus, Irim demisit Olympo,  
695 quae luctantem animam nexosque resloveret artus.  
696 Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,  
697 sed misera ante diem, subitoque accensa furore,  
698 nondum illi flavum Proserpina vertice crinem  
699 abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.  
700 Ergo Iris croceis per caelum roscida pennis,  
701 mille trahens varios adverso sole colores,  
702 devolat, et supra caput adstitit: 'Hunc ego Diti  
703 sacrum iussa fero, teque isto corpore solvo.'  
704 Sic ait, et dextra crinem secat: omnis et una  
705 dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.